

non possunt . Præter Definitiones quibusdam ambiguis vocibus in Critices usu passim obviis , uniuscujusque arbitratu impositas , perspicuum erit , veros errorum fontes , e quibus adhuc non emersit prorsus , ab Doctoribus artis erupisse . Nonne ad ipsos attinebat statuere , quatenus in Scriptorum testimoniis progredi debeat autoritas , tum quæ a germanis eorum libris mutuantur , tum quæ ab iis , qui falso ipsis tribuantur ? quando plus deferendum sit autoritati , quam conjecturæ , quando vero huic plus quam illi ? quonam pacto Autores Ecclesiastici inter se conciliari queant , ubi videntur discrepare ? Qui memorem responsa dictis Patrum per Criticos perpetram redita , circuiciones & anfractus ad ea extenuanda exhibitos ; sensa ipsis injuste afficta ; eorum textus in pravos usus detortos ? Nonne tandem ipsis erat , nos instituere , quænam in conjecturis desiderentur , ut probabiles sint , quive eas integre conjiciendi modus ? His omnibus manifesto convincitur , in Critices operibus virtutia animadverti , & notari ; quæ quidem per totum licet volumen diffusa sint , visum tamen est ea in quadam Septimæ Dissertationis parte collecta seponere ; ut uno veluti asperu universa circumspiciantur . Verum satis nequaquam est , Critices errata palam fecisse , atque eorum nos caussas persecutos fuisse : operæ pretium esset , in id connitti , ut tot ejus incommodis aliqua ratione provideremus . Quo in munere illius equidem Regulas & Usuum absolute corrigendos non iuscipio ; contentus plane generales vias tradidisse , quarum duetu facultas hæc tutior , ejus præscripta minus incerta , Usus æquabilior , atque argumenta solidiora redderentur . Occurrent pariter nonnulla principia ad Historiam Ecclesiasticam illustrandam , ad lites non paucas dirimendas , ad diversas de compluribus factis opiniones componendas utilifima .

Nulla ferme alia fundamenta posuit Critice præter Autoritatem & Conjecturam : at hæc duo capita probationes aliquando suppeditare nequeunt in quadam facta , præsertim testibus minime munita . Abs re itaque non esset , duobus istis principiis alia duo , quæ unum re ipsa sunt , adjungere . Traditionem scilicet , & Testimonium Ecclesiæ . Nominе autem Traditionis eas haud intelligo populares & futilis , quæ plerunque commentitiæ sunt , aut certe dubiae semper fidei ; sed Traditionem rationi consentaneam , iisque conditionibus præditam , per quas CRITICÆ TRADITIONIS vocabulum ipsi congruat . Cumque similiter inter Critices principia Ecclesia testimoniū refero , non hic accipias velim Ecclesiā , Fidei dogmata declarantem , sed enarrantem nobis historica tantummodo facta , eaque præcipue , quæ qualitatibus afficiuntur , Criticæ & prudenti Traditioni necessariis .

Novorum Principiorum necessitate extra aleam posita , generales regulas exhibeo , 1. ut cognoscamus , quantum autoritatis tribui possimus Scriptorum testimonio , tum quoad fontes , unde facta duxerunt , tum quoad alios Autores , aut ipsis proprias affectiones ; 2. ut enucleentur ea , quæ conjecturam credibilem efficer possunt , eaque ac probationes ab aliis con-
jectu-